



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Agnes V. 21. Ianuarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

cum stipulas lectuli comprehendisset, veritus sacrum caput attingere, sponte iterum extinctus memoratur. Corvi interim & ipsi gemini, ac diu è manu Divi diarium accipere soliti, pulchrè se & Patronum suum vindicarunt. Alas quippe, & ungues intentando in oculos, & voce, quâ poterant, parricidas clamitando, tamdiu prædones sunt insecti, quoad in vincula tandem coniecti sunt, post paulum iterum poenas corvis daturi. *Ex Surio.*

S. A G N E S V. 21. Januarii.

AGNES è primâ Romæ nobilitate vix dum annos nata tredecim, candidum pudoris florem sanguinis sui purpurâ pinxit. Nam Agno dudum nupta dum oblatum à filio urbi Præfecti thalamum longè repudiat, vestibus spoliata in lustrum abripitur; sed mox ab Angelo bono, divinâ luce contra impuros armatur, & veste de celo data ornatur. Irrumpentem exinde, de quo dixeramus, CHRISTI rivalem, ideoque à malo dæmone suffocatum vitâ iterum donat, & tamen ab Aspasio flammis addicitur, sed quas ad preces virginis caelestis ros illico extinxit. Gladio denique trajicitur nova urbis Romæ, sed virgo, sed non latro, Lucretia. Porro dum Emerentiana virgo ad AGNETIS tumultum preceatur, lapidibus obruta suoque

suoque lustrata sanguine (nam fonte sacro non erat) à parentibus AGNETIS prope filiam conditur; quibus non multò post inter candidatum virginum agmen AGNES cum AGNO sponso suo visendam se dedit vetuitque deinceps mœrere, & tam felicem thalamum, quem optimè nupta inscendisset, lacrimis aspergere. *Ex S. Ambr. & Brev. Rom.*

S. ANASTASIUS MART.

22. Januarii.

O Pima spolia abstulisse in Persiam se Cosrhoas putavit, cum Crucem S. abstulit, sed nimirum quæ Persiam spoliarent. Sanè multorum fides nostra in animum, simul Crux in oculos venit, interque eos ANASTASII celebris magi filii, qui eum de Cruce Crucisque anathemate multa curiose quæreret, jam tum gestiebat magna pati pro maxima patiente Christo. Itaque sanctissimus transfuga Ierosolymæ Christianum, mox monachum induit; nullâ re sic delectatus, uti res fortiter à Divis gestas legendo, martyribus præsertim, quibus ille tot palmas tyro invidebat, & intereà cum sanguinem nondum posset, lacrimas ubertim fundebat. Ut primùm ergo in privato pulvere exercuit sese, prodiit in aciem ultro hostem laceffens. Igitur ad latomias

D 4 ~~damna~~